



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

176. Ne sanctimoniales palatum & publicos conventus adeant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

bus permovemur, quæ nulla prole suscepta
fecunditatem suam reparacione familiae re-
pudiata conjugij iteratione condemnant, &
solitariam vitam non, ut colligitur, religionis
ac pudicitiae amore, sed potentiae lasciviæque
vivendi eligunt libertatem. Quibus ad omnem
licentia usum aut solicitantium personarum
ficta religione aut favore callidi captatores ad-
plaudunt. Has ad honestioris vitæ tramitem
revocantes sancimus ut maritali obitu desti-
tuta mulier quadragenaria, cùm adhuc pro-
creare liberos per ætatem potest, intra quin-
quennium nubat. Emenso quinquennio si in
viduitate persistit, mox cum propinquis suas
dividat facultates; aut si hi fortasse defuerint,
cum fisco* matrimonium dividat.

* In Nov.
patrimon.

Ne sanctimoniales palatum & publicos
conventus adeant. Ex Concilio
Nannetensi.

^{1. Cor. 14.}
CLXXVI. Cùm Apostolus dicat, *Mu-*
lieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur
eis loqui, mirum videtur quòd quædam mu-
lierculæ contra divinas humanasque leges at-
trita fronte impudenter agentes, placita gene-
ralia & publicos conventus indesinenter ad-
eunt, & negotia regni utilitatésque reipubli-
cæ magis perturbant quàm disponunt, cùm
indecens sit & etiam inter barbaras gentes re-
prehensibile mulieres virorum causas discute-
re, & quæ de lanificiis suis & operibus textili-
bus & muliebribus inter genitiarias suas resi-
dentes debuerant disputare, in conventu pu-
blico, ac si in curia residentes, senatoriam
S iij

Concil. Nan-
net. c. 19.
Burchard. lib.
8. c. 85.

sibi usurpant auctoritatem. Quæ ignominiosa præsumptio fautoribus magis imputanda videtur quam feminis. Unde, quia divinae leges, ut suprà monstratum est, hoc contradicunt, & humanæ nihilominus idipsum prohibent, ut feminæ nihil aliud prosequantur in publico quam suam causam. Ait enim Lex Theodo-

Interpret. l. 5.
Cod. Theod.
de cognitor.
& procurator. siana : *Nulla ratione feminæ amplius quam suas causas agendi habeant potestatem, nec aliquis causam à se neverint prosequendam.* Idcirco ex auctoritate canonica interdicimus ut nulla sanctimonialis virgo vel vidua conventus generales adeat, nisi à Principe fuerit evocata, aut ab Episcopo suo, nisi forte propria necessitatis ratio impulerit. & hoc ipsum cum licentia Episcopi sui.

Quando virgo veletur. *Ex Concilio Africano.*

Concil. Afric.
c. 93.
Lib. 1. Capi-
tular. c. 46.
Burchard. lib.
8. c. 18.
Decreta Gela-
sij c. 12.

C L X X V I I . Ut virgines non velentur ante vigesimum quintum annum ætatis, nisi forte necessitate periclitantis pudicitiae virginalis ; & ut Gelasius Papa dicit, nisi in Epi- phania & in Albis paschalibus & in Apostolorum natalitiis non sunt consecrandæ, nisi causa mortis urgente.

Decreta Gela-
sij c. 13.
Lib. 1. Capi-
tular. c. 59.
Burchard. lib.
8. c. 36.
Concil. Tri-
bur. c. 24.
Burchard. lib.
8. c. 10.

De eadem re. *Gelasius.*

C L X X V I I I . Viduas autem velare Pontificum nullus attentet.

Virgines quæ ante duodecim annos insciis mundiburdis suis sacrum velamen capiti suo imposuerint, & illi mundiburdi integrum annum & diem hoc tacendo consenserint, in